JOANNIS FRANC
HALENS
S. THEOL. AC PHIL

SCHEDI
PHILOLOGICO-

DE

PRIMARIIS QV

VERSIONIS S

VIRTVTIB

IN

QVORVNDAM NO

LOCORVM ILLVS

CONSPICV



HALÆ MAGDEBV

Stanno JO. CHRIST. HIL

ANCISCI BERND,
ENSIS,
c PHILOL. CVLT.

DIASMA

O - EXEGETICVM
DE
QVIBVSDAM
S SYRIACÆ
VTIBVS,
IN
NOVI TESTAM.
LLVSTRATIONE
ISPICVIS.



GDEBVRGICÆ,
T. HILLIGERI, Ao. 1732.

VIRIS

SVMME VENERANDIS, AMPLISSIMIS

ATQVE

EXCELLENTISSIMIS,

DOMINO

JO. HENRICO MICHAELIS,

S. S. THEOL. DOCT. EIVSDEMQVE VT ET GRÆCÆ ATQVE OO. LL. PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO VEN. FACVLTATIS THEOL. DECANO,

DOMINO

IOACHIMO LANGIO,

S. S. THEOL. DOCTORI EIVSD. PROFESS. PVBLICO ORDINARIO,

ET

DOMINO

CHRISTIANO BENEDICTO MICHAELIS,

S. S. THEOL. AC PHILOSOPH. PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO,

THEOLO-

THEOLOGIS DE RE TVM ECCLESIASTICA
TVM LITTERARIA MERITISSIMIS
PRÆCEPTORIBVS SVIS PIE VENERANDIS,
PRIMITIAS HASCE EX PHILOLOGIÆ MESSE COLLECTAS,
OFFERT ET COMMENDAT,
VENERANDORVM
ILLORVM NOMINVM

Cultor perpetuus
JO. FRANCISCVS BERND.



§. I.



Uemadmodum ingens summi beneficium numinis esse censetur, quod gratiosam suam de sempiterna hominum salute voluntatem reuelauerit; sic non immerito grande Dei beneficium esse putatur, quod voluntatis suæ declarationem adeo huic illiue non adstrinxerit linguæ, siue Hebrææ in Veteri, siue Græcæ in Nouo Testamento, vt non potuerit etiam alia, vel cognata, vel prorsus diuersa lingua declarari. Quare suum etiam sacrorum versionibus ac translationibus oraculorum esse adiudicandum pretium, omnes diuinioris doctrinæ mystæ vno fatentur ore; quantumuis non negent, αὐθεντικὰς sacrorum eloquiorum linguas, omnibus esse versionibus anteponendas. Non enim ignorant, nullam versionem e textu authentico expressam, tam perfectam, omnibus numeris tam absolutam esse, tamque textui respondere authentico, vt næuis sit ac mendis prorsus destituta.

§. II.

Nec desunt etiam caussæ, quæ versionum næuos a priori, quod aiunt, arguant. Siue enim textus primarii, &

versionis ex eodem expressæ naturam; siue diuersos diuersarum linguarum idiotismos, siue etiam ipsam translatoris conditionem expendant: affatim, puto, ipsis caussarum occurrit, quamobrem, næuos in qualibet, etiam adcuratissima, versione, ineuitabiles esse posse negent, pernegent.

§. III.

Quemadmodum autem id de omnibus generatim translationibus, quocunque illæ nomine adpellentur, a quocunque auctore sint profectæ, dici potest: sic speciatim de Syriaca Noui Testamenti versione, quæ omnium doctorum iudicio virorum, venerabili sua se antiquitate sacrorum lectoribus ac scrutatoribus effatorum commendat, idem ferendum esse iudicium censeo. Opus quidem egregium est, suoque, vt antiquitatis, ita etiam ἀκριβείας nitore splendet: sed, ad solis tamen instar, aliquibus subinde maculis distinctum, immo obfuscatum conspicitur. Idque multis probare exemplis pronum mihi foret, nisi ad virtutes potius huius translationis meorum aciem oculorum mihi volupe fuisset dirigere. Quicunque enim censoria aduersus hanc translationem virgula vsi sunt, (*a*) quotcunque næuos in ea critico

(*a*) v. gr. Clarissimus MICHAEL HENRICVS REINHARDVS, in Dissertatione, quam de *versione Syriaca* N. Testam, a *textu græco recedente*, conscripsit Witenbergæ A. 1723. Qui aliquot menda obseruauit, nec tamen omnia. Nos plura obseruauimus, inter quæ præcipua sunt *Matth.* XI. 2. vbi Syrus δύο τῶν μαθητῶν reddit *per discipulos suos*. *Marc.* I. 2. ἐν τοῖς προφήταις reddit in *Esaia*. Luc. XIV. 5. Syrus υἱὸς reddit per *breh filius eius*. *Jo.* I. 28. *Bethabara* reddit per *Bethania*. c. XIX. 25. quatuor iuxta Christi crucem mulieres statuit; cum tamen tres fuerint.

(*b*) Loc.

tico notaverint obelo: fateri tamen coguntur, eam, plurima ex parte, sua non esse laude defraudandam. (*b*)

§. IV.

Multis hic esse nobis liceret in copiose recensendis huius translationis virtutibus, nisi vereremur, vt iam ante actum ageremus. ÆGIDIVS enim GVTBIERIVS, vir de Syriaca litteratura meritissimus, in præfatione, quam Nouo Testamento Syriaco, a se vulgato, præfixit, tum ipse elegantiam huius versionis, eiusque præ aliis, quam mereatur, prærogatiuam dignis euehit laudibus; tum largam doctissimorum virorum, MARTINI, FRANZII, FLACII, GVALTPERII, TREMELLII, WALTONI, aliorum, segetem pandit, qui Syriacæ versionis grande, promeritum tamen, statuerint pretium, eique principem inter reliquas versiones, recentiores imprimis, adsignauerint locum. Nec diffiteor ipse, me ante aliquot annos ad aureæ huius lectionem versionis, suauibus illis encomiis, quibus a Viris istis doctissimis ornata sistitur, pellectum, in ipsa eius lectione, amabilem illius cimelii faciem, auctorisque illius ἀκρίβειαν hermeneuticam conspicatum admirabundo fuisse animo, atque, vna alteraque lectione peracta intellexisse; versionem illam omnibus nostris esse laudibus longe maiorem. Quare non possum, quin

(*b*) Loc. cit. §. I. Cl. REINHARDVS debitis hanc versionem laudibus exornat. Nam virtutes eius recenset, positas 1) in conuenientia stili Syriaci cum stilo Hebræo V. Testamenti: 2) in luculenta V. Testam. explanatione: 3) in declaratione rituum & antiquitatum: 4) in eius conseruatione per secula barbara ad nostram vsque ætatem. Imo hanc versionem horto comparat amœnissimo, *in quo quam plurimas distinguere arbores, suauissimos fructus decerpere, multiplicesque flores legere* liceat lectori.

quin primarias eius verſionis virtutes ſeligam, & quantopere iis fuerim delectatus & adhucdum delecter, Philermeneutis teſtatum faciam.

§. V.

Ad primarias igitur verſionis Syriacæ virtutes *primo* loco referendum eſſe decerno, quod de diuinitate Jeſu Chriſti luculentiſſimum ex antiquitate eccleſiaſtica ſuppeditat teſtimonium. Quando enim *Joannes* c. I. 1. ſacratiſſimum illud verbi hypoſtatici deſcribit arcanum, illiusque verbi tum æternitatem, tum hypoſtaſin a patre diſtinctam, tum etiam eius eſſentialem cum Patre vnitatem, legentium animis inſinuat hunc in modum: ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος; præſtantiſſimus noſter interpres inſolitæ & arcanæ rei indolem inſolita conſtructione ſignat, verbisque emphaticis ac ponderoſis declarat. Quando igitur de verbi hypoſtatici æternitate Joannes loquitur, dicitque *in principio fuiſſe verbum:* Syrus id transfert per *in principio ithau h'vo meltho exſiſtendo exſiſtebat verbum.* Hic enim obſeruo 1) ſingularitatem huius λόγου, cuius Joannes meminit, ab interprete noſtro notabili charactere inſigniri, eo conſilio, ne intelligeretur verbum prolatitium & vulgare, ſed hypoſtaticum vel ſingulare. Etenim cum vox *meltho verbum* fœminei ſit generis, atque cum particulis, adiectiuis, verbis, fœmineæ terminationis, ſemper conſtrui ſoleat a Syro, quoties verbum *prolatitium* in Scripturis Noui Teſtamenti ſignificare exiſtimatur: ſingularis omnino conſtructio ſyntactica hoc loco & 1. *Joh.* I. 1. qua cum particulis & verbis, in verilem terminationem exeuntibus, conſtruitur, videtur ſingulare quoddam verbum, a prolatitio toto genere diuerſum, ſignificare. Conſtruitur enim cum verbo *h'vo* cum pronomine *hu* & cum pronomine ſiue nomine ſubſtantiuo *jth*

in

in virili suffixo exeunte. Quæ constructionis singularitas latine exprimi nequit, nisi quando eum pronomine *hu* construitur: *v'hu meltho & ILLE verbum* (vt sic inusitatam Syri constructionem, sermone latino exprimere fas sit) *existendo erat apud Deum.* Obseruaui nimirum cum ÆGIDIO GVTBIERIO: (c) *antiquitatem Syriacam a primis inde nascentis ecclesiæ temporibus, per inusitatam verborum constructionem fidei mysterium hic innuisse*, in voce scilicet λόγϐ quærendum, pioque adfectu venerandum: intelligi scilicet verbum hypostaticum, cui notio masculina competat. 2) Verbum illud, de quo sermo est, ab initio non demum factum fuisse, vt Arrianorum nocentissima schola dictitat. Id vero ex eo colligi posset, si paraphrasta simplici verbo *h'vo* tantum vsus fuisset. Quod si enim interpres vertisset: in principio *h'vo meltho;* non necessario verti deberet: ERAT *verbum*; sed verti etiam posset per FACTVM *erat verbum*: quemadmodum infra comm. 14. de eodem verbo dicit interpres: *& verbum besro h'vo.* quæ verba secundum Syri mentem vertimus: *& verbum* factum *est caro*, quia antea caro non fuerat. At vero Syrus τὸ *h'vo* simplex, & τὸ *ithau h'vo* notabili distinguit discrimine, ita, vt simplex *h'vo* significet *fieri, factum esse*; *jthau h'vo* vero *absolute* & *actualiter existere* vel *exstitisse*. Cum igitur Syrus non dicat; *in principio h'vo meltho*, vti commate 2. de rebus creatis dicit: *& omne per illum h'vo factum est, & sine illo ne quidem vnum h'voth factum est*, quod factum est: Sed dicat: *in principio ithau h'vo existendo erat verbum*, seu: (d) *in principio erat ipseitas, essentia,*

(c) In præfatione ad Nou. Testament. Syr. p. 16. 17. edit. de anno 1664.

(d) Nam τὸ *jtb* Syriacum τῷ *eeth* hebræorum respondens, *ipseitatem* quasi, *essentiam* & *actualem existentiam* notat.

tia, actualis existentia verbum ipsum: manifeste ostendit interpres, tempore primitiuæ ecclesiæ λόγον illum, de quo Johannes hic loquitur, ex numero rerum creatarum fuisse exemtum, & supra omnem rei creatæ conceptum, sortemque, longe, immo infinitis modis, euectum.

§. VI.

Non minori ἀκριβείᾳ adcuratissimus interpres filii Dei hypostasin, a Patre distinctam, declarat. Quando enim Joannes comm. I. porro dicit: καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν; Syrus iterum adcurate reddit *v'hu meltho ithau h'vo l'voth aloho &* ILLE *verbum in existentia* seu *ipseitate sua* (vt ita loquar) *erat apud Deum.* Hinc ergo porro colligo, primitivam ecclesiam non credidisse 1) quod *verbum* illud in Deo fuerit instar *modi* in *subiecto*, vel consilii & destinationis in deliberante & destinante; sed tanquam singularis hypostasis a Patre distincta. Non enim vertit interpres: *&* ILLE *verbum erat baloho in Deo;* sed *l'voth aloho* quasi *in comitatu Dei.* Id enim τὸ *l'voth*, si loco nominis accipiatur, significat. *Lavvi* enim Syris est *adhærere, comitari*; *l'voth* igitur nominaliter intellectum, *adhæsionem & comitatum* duarum personarum, citra earum commixtionem & confusionem, significat. Cum igitur *verbum* illud fuisse dicatur *l'voth aloho apud Deum;* apud ipsum veluti comes ipsius indiuulsus fuit. (*e*) Et quemadmodum comes ab eo, quem comitatur, ratione subsistentiæ differt: ita hoc quoque *verbum*, in comitatu Patris existens, ab eodem ὑποστατικῶς distinctum merito concipitur. Ideo etiam obseruamus, primitiuam ecclesiam non credidisse 2) quod ver-

(*e*) *Prouerb.* VIII. 30. dicit sapientia hypostatica: *& fui ezlo vicinus eius, apud eum*, ita tamen, vt fuerim ab eo ὑποστατικῶς *nezal distinctus, separatus.*

verbum illud, quod *apud* Patrem fuit, ipse Pater fuerit. Comitans enim & adhærens, cum eo, quem comitatur, cuique adhæret, non commiscetur aut confunditur.

§. VII.

Pari ἀκριβείᾳ laudatissimus paraphrastes *verbi hypostatici* essentialem cum Patre vnitatem describit. Quando enim Joannes dicit, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος; Syrus illud reddit: *valoho ithau h'vo hu meltho, & Deus existendo erat illud verbum.* (*f*) Quo pacto interpres ostendit, primitiuam ecclesiam verbo illi diuinam essentiam attribuisse per naturam. Non enim reddit Syrus; *& verbum illud h'vo* ERAT *Deus* simpliciter; sed *ithau h'vo, ipscitas, actualis existentia verbi erat Deus.* Clarius de hac essentiali vnitate testimonium exhibet comm. 18. Quando enim Joannes dicit ὁ μονογενὴς υἱὸς; Syrus id reddit per *jchidhejo aloho* VNICVS DEVS, *qui est in sinu Patris sui.* Hic nimirum obseruamus, Syrum hoc loco vocem υἱὸς non reddere per *bro* tanquam nomen characteristicum, sed nomine vti essentiali, tribus diuinitatis hypostasibus communi, eidemque vocem *jchidojo* quæ *vnicum* designat, iungere. Ex quo colligimus, primis christianis non insuetum & insolens fuisse, filium Dei *vnicum* adpellare *Deum;* nec eos propterea refragatos esse Scripturæ, quæ diserte Patri tantummodo id honoris tituli tribuere videtur *Jo.* XVII. 3.

(*f*) Præterea hic notandum, secundum interpretem nostrum huius propositionis subiectum esse ὁ λόγος; prædicatum autem ἦν θεός. Et si verba Syri transponantur hoc modo: *& illud verbum existentia actuali erat Deus:* subiectum priori, prædicatum vero posteriori loco ponitur. Subiectum autem esse ὁ λόγος, tum articulus in sacro textu præpositus, tum etiam in Syriaca paraphrasi pronomen demonstratiuum *hu*, voci *meltho* præmissum, satis ostendunt.

Non enim ignorarunt, eum, qui *verus* Deus ſit, eſſe quoque Deum *vnicum*. At Chriſtus verus Deus adpellatur, *Jo.* V. 20. ſequitur ergo, vt etiam eſſentialiter *vnus* ſeu *vnicus* Deus ſit. (*g*)

§. IIX.

Placet ad huc circa χριϛολογίαν ſubſiſtere, atque, quomodo Chriſtum interpres noſter orantem in monte, & in oratione pernoctantem, deſcripſerit, conſiderare. Nimirum *Luc.* VI. 12. legitur, Chriſtum διανυκτερεύοντα fuiſſe ἐν τῇ προσευχῇ τȣ̃ θεȣ̃. Syrus: *aggah h'vo*, *ſplendebat per noctem in oratione Dei.* Vtitur interpres, vt exprimat verbum διανυκτερεύω, verbo, a *n'gah*, quod *ſplendere* eſt, deſcendente, in coniugatione *Aphel*; idque loco verbi *beth* quod ſpeciatum *ſub tecto pernoctare* eſt. (*h*) Cum igitur id verbi vſurpet, quod *ſplendere*, *radios emittere* ſignificat; non ſimplicem pernoctationem Chriſti in precibus fundendis intelligendam eſſe indicat, ſed cum aliquo quaſi ſidereo ſplendore coniunctam. Sic latinis *luna pernox* dicitur, quæ per totam noctem ſplendet, nec vllis nebulis, nubibusque obſcuratur. Nec dubitem, græcis hanc ipſam metaphoram placuiſſe, vt dixerint σελήνην διανυκτερεύȣσαν, ἄϛρα διανυκτερεύοντα, quando per totam noctem cælo ſplendent ſereno, **wann der Mond die gantze Nacht hindurch ſcheinet, oder die gantze Nacht durch bey hellem und klaren Himmel die Sterne leuchten.** Syrus

(*g*) Hæc obſervatio, ex antiquitate eccleſiaſtica depromta, contra Socinianos tenenda eſt, qui neſcio, quo pacto aut iure, polytheiſmi nobis maculam adſpergunt, filium Dei *vnicum* Deum, æque ac Patrem eſſe, adfirmantibus: cum tamen a primitiuæ eccleſiæ ſenſu de Chriſti diuinitate ne latum quidem vnguem diſcedamus.

(*h*) Inde enim *beth*, *domus* deſcendit. Ipſum verbum illud occurrit *Luc.* XXI. 37.

rus igitur hoc propterea vsus est verbo, quoniam optime ad excellentissimum illud quadrabat opus, quod Christus in eo monte obiisse dicitur: notat enim, integram ab eo noctem non tantum in precibus ad Deum fusis transactam fuisse; sed in eo etiam fuisse mentis serenitatem, adeo, vt lucidi instar sideris per totam noctem coram patre suo, εὐδοκίαν in ipso habente, splenduerit. (i) Ex quo Christi exemplo, cum fiducia precati, quin pii summi numinis cultores, normam suarum precum sumere queant, nullus dubito.

§. IX.

Ad primarias *porro* virtutes versionis Syriacæ pertinet, quod auctor eius in explicandis transferendisque Noui Testamenti phrasibus, stilum veteris testamenti imitatur: quæ virtus eo est excellentior, quo magis oraculorum diuinorum interpretem ornat. Multis id exemplis probarem, nisi me temporis, qua circumscribor, itemque chartæ angustia breuiorem esse iuberet. Vnum tamen alterumue placet exemplum intueri. Paullus I. *Tim.* IV. 15. Timotheum monet, vt admonitiones suas salutares, quas ipsi dederat, curaret, hanc adiungens caussam ἵνα σου ἡ προκοπὴ φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσιν. Syrus ita transfert: *vt cognoscatur ab omnibus*, *d'lakdomajch othe*

(i) Ex hac Syri paraphrasi simul patet, προσευχὴν hoc loco non necessario pro *ædicula* oratoria habendam esse, in qua seruator pernoctarit, vti existimant DRVSIVS, ROBERTVS GELLIVS, ille in Lexico sub voce *thephilah* hic in *reliquiis emendationum versionis Anglicæ* ad h. locum. Id enim si fuisset, Syrus procul dubio vsus fuisset verbo *both*, quod *sub tecto pernoctare* est. Conf. THOMÆ GOODWINI *Mos.* & *Aaron* p. 180. (13.) præcipue vero adcurate hac de re dissertantem cel. CAMP. VITRINGAM de *Synag. veteri* lib. I. Part. I. c. IV. editionis Leucopetr.

ath, te venisse ante te, id est, expedite progressum esse. Admodum concinne, puto, progressum illum, quem Paullus in Timotheo requirit, explicat. Vocem enim προκοπῆς, linguæ necessitate coactus, in verbum mutat, phrasinque vsurpat orientalibus quondam vsitatam, felicem alicuius progressum descripturis. Eum enim, qui expedite in re vel negotio quodam progrediebatur, dicere solebant *ire & ambulare & magnum fieri*, id est, gradatim proficere & ex vno progressu in alterum transire. (*k*) Syrus illam phrasin aliquo modo commutat ita, vt tamen eamdem rem explicet, dum eum, qui profectus facit, talem esse dicit, qui *procedat ante se*, **der gerade vor sich hingehet**, nullo impedimento vel obstante, vel, si obstet etiam, eius progressum remorante aut retardante. Quam phrasin cum hoc loco vsurpet, quo Paullus a Timotheo postulat, vt eius profectus publice conspiciatur: Paulli fuisse mentem interpres declarat, vt Timotheus *ante se procedere* studeat, omnibus impedimentis vel obiectis, vel adhucdum obiiciendis, ne pensi quidem habitis; transcursis potius & superatis & generoso, vt militem christianum deceat (c. I. 18.) animo, contemtis. 2. *Tim.* III. 5. Paullus eorum, meminit, qui speciem præ se ferant pietatis, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι. Hi, qui sint? Syrus ex stilo veteris Testamenti designat; quando reddit: *& a virtute Dei remoti sunt*. Hic enim obseruamus, interpretem 1) pronomen ἀυτῆς, quod ad præcedentem ἐυσεβείας vocem respicit, ita explicatum dare, vt illud referat ad virtutis, quæ in pietate est, caussam primariam, quæ *Deus* est, cui pietatis cultus exhibetur *in spiritu & veritate Jo.* IV. 24. & ad quem ipsa cultus diuini origo refertur. Virtus

(*k*) Sic *Gen.* XXVI. 13. de Isaaco ditescente dicitur: *& magnus euasit vir: abiit enim ambulando & crescendo, donec magnus fieret valde.*

tus ergo pietatis est virtus Dei. Illam qui negat sub externa pietatis μορφώσει, negat & ipsam Dei virtutem. 2) non ineleganter hanc suam translationem ad oraculum, quod *Jes.* XXIX. 13. legitur, adcommodasse, vbi Jehoua ita de peruerso sui cultu conqueritur: accedit hic populus, ore suo & labiis suis veneratur me (id est, *habet* μόρφωσιν *pietatis*) *v'libbo ribhak mimmenni, & cor eius* remotum est *a me*; quæ vltima verba reipsa tantundem volunt, quod translatio Syra: *& a virtute Dei remoti sunt.*

§. X.

Vbi ad ritus veterum in textu sacro fiat adlusio, non obscure Syrus indicat; quæ *tertia* eius versionis virtus est. Illustre exemplum exstat 2. *Tim.* II. 5. vbi Paullus, Timotheo pugnam spiritualem commendans, dicit: *neminem coronari*, ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ. In quibus verbis, non nego latere quoddam indicium alicuius ad athletarum græcorum, romanorumque veterum ritus adlusionis: vsurpat enim apostolus vocem ἀθλήσῃ, quæ alioquin de athletarum pugnandi actu in scriptoribus græcis occurrit. Quid autem sit νομίμως ἀθλεῖν, non æque Hermeneuticæ sacræ tironibus notum est. Syrus autem phrasin illam eleganter explicat, aduerbio νομίμως substantiue reddito, suffixo adpenso. Reddit enim: *een b'nomusch lo metheathasch, si secundum* legem suam *non pugnet.* Nulli igitur dubitamus, quin apostolus hanc etiam locutionem suam ex veterum re athletica transsumserit, & ad pugnam spiritualem christiani militis adplicarit. Iis enim, qui athleticam exercebant, vel militiam quoque sectabantur, certæ erant leges præscriptæ, secundum quas certamen pugnamue susciperent. Illi igitur, qui secundum leges sibi præscriptas depugnabant, aduersariumque vel hostes suos fortitudine & robore, vel arte quoque superabant, quodam certaminis præmio, quod plerum-

rumque laurea erat corona, ornabantur. Lubet hic mihi aliquot leges ex reliquis Paulli monumentis colligere. I. Athletæ vel milites suis debebant instrumentis & armis esse instructi, *Eph.* VI. 11. 13. II. Athletæ debebant firmo stare gradu nec hosti cedere licebat. ibid. comm. 14. III. Athletæ debebant cum aduersario congredi, eique fortiter resistere, ibid. comm. 13. IV. Athletæ debebant hostem vel aduersarium conficere, stare in acie vel palæstra, ibid. V. Athletæ ictibus suis non debebant aërem verberare, sed aduersarium petere 1. *Cor.* IX. 26. VI. Athletæ debebant hostem suum *ὑποπιάζειν supprimere*, *δουλαγωγεῖν sub seruitutis iugum mittere*, ibid. comm. 27. Illum actum apostolus vocat *συντρίβειν ὑπὸ τοὺς πόδας*, *Rom.* XVI. 20. coll. *Gen.* III. 15. VII. Speciatim milites se non debebant implicare curis circa victum, ne inhabiles redderentur ad pugnam, sed animi eorum intenderentur tantum ad opera militaria, rite & subeunda & perficienda 2. *Tim.* II. 4. IIX. Speciatim omnibus gymnicis & athletis exquisita in victu præscribebatur *δίαιτα*, ne immoderato cibi potusque vsu corporis vires languefierent, & ad certamen, cum vigore ineundum, ineptæ redderentur 1. *Cor.* IX. 27. Tales athletæ & pugnatores *legitimi* (*νόμιμοι*) dicebantur, qui leges, modo commemoratas, vel alias etiam, sancte obseruabant. Talibus etiam corona donabatur. Patet igitur exinde, quam amplissimi sit sensus phrasis Paullina, *νομίμως ἀθλεῖν*; præcipue ad militiam christianam adplicata.

§. XI.

Quarta virtus, quam primariam quoque adpello, est quod paraphrasta Syrus voces emphaticas interdum eiusmodi reddit loquendi formulis, quibus illarum sensus viuidis depingitur coloribus, eamque ob caussam legentium mentibus viuacius proponitur. Sic 1. *Jo.* II. 28. phrasin *ἔχειν παῤῥησίαν* elegantissime exprimit per *Ꝺ sit nobis ghaljuth appeh reuelatio*

latio faciei. (*l*) Ex ordine enim iudiciorum, apud veteres olim vsitato, hanc phrasin desumsit. Solebant enim antiquis temporibus, qui criminis aut maleficii alicuius rei ad iudicia raptabantur, facie obuelari. Ritus ille apud romanos erat in vsu, dum rei sordidi, barba intonsa & promissa, capillisque in faciem demissis, adeoque facie obvelata, coram iudice, in publico iudicii loco comparebant: (*m*) Vetabat ritus ille iudicis adspectum, actoris, aliorumque circumstantium, symbolumque erat malæ conscientiæ, qua vexatus alterum, nedum iudicem suum,

C con-

(*l*) Interpretes παῤῥησίας vocem varie reddunt. VETVS interpres latinus & ERASMVS vertunt: *vt fiduciam habeamus*. LVTHERVS & PISCATOR per Freudigkeit explicant. BELGÆ rotundius & ad vocis illius sensum adcommodatius reddunt per *vrymœdigheit*; quos etiam REIZIVS sequitur. CASTELLIO per *confidentiam* interpretatur. Nulla tamen horum translatio interpretum, tam viuide παῤῥησίας vocem, quæ iudicalis est & forensis, proponit.

(*m*) Probari hoc potest vel ex ipsa historia sacra, quæ Christi vexationes in ædibus maximi pontificis subitas enarrat *Luc.* XXII. 64. *Marc.* XIV. 65. Hic enim diserte dicitur, illos milites, qui Christum comprehensum in Pontificis ædes deduxerint, procul dubio romanos, adeoque patriorum rituum in iudiciis obseruatorum tenacissimos, *faciem Christi obtexisse* seu *obuelasse*, obuelatamque *colaphis excepisse*, cet. cum forte Christum coram pontifice παῤῥησιαζόμενον conspicerent, quo sontis imaginem referret. Nec etiam quemadmodum romanorum imperium tunc temporis in orientem vsque extendebatur, negari posse videtur, ritum illum, penes romanos receptum, ad populos simul extraneos, romanis parentes, delatum fuisse. Quid? quod apud Persas in oriente ritum illum, quo reorum facies obuelabantur, antiquitus obseruatum fuisse, clare doceat historia de Hamanis, Judæorum calumniatoris, supplicio, *Esther.* VIII. 8. descripto: imo in psalmis Dauidicis passim huc respicitur, e. gr. Ps. XXXV. 4. 26.

rumque laurea erat corona, ornabantur. Lubet hic mihi aliquot leges ex reliquis Paulli monumentis colligere. I. Athletæ vel milites suis debebant instrumentis & armis esse instructi, *Eph.* VI. 11. 13. II. Athletæ debebant firmo stare gradu nec hosti cedere licebat. ibid. comm. 14. III. Athletæ debebant cum aduersario congredi, eique fortiter resistere, ibid. comm. 13. IV. Athletæ debebant hostem vel aduersarium conficere, stare in acie vel palæstra, ibid. V. Athletæ ictibus suis non debebant aërem verberare, sed aduersarium petere 1. *Cor.* IX. 26. VI. Athletæ debebant hostem suum ὑποπιάζειν *supprimere*, δουλαγωγεῖν *sub seruitutis iugum mittere*, ibid. comm, 27. Illum actum apostolus vocat συντρίβειν ὑπὸ τοὺς πόδας, *Rom.* XVI. 20. coll. *Gen.* III. 15. VII. Speciatim milites se non debebant implicare curis circa victum, ne inhabiles redderentur ad pugnam, sed animi eorum intenderentur tantum ad opera militaria, rite & subeunda & perficienda 2. *Tim.* II. 4. IIX. Speciatim omnibus gymnicis & athletis exquisita in victu præscribebatur δίαιτα, ne immoderato cibi potusque vsu corporis vires languefierent, & ad certamen, cum vigore ineundum, ineptæ redderentur 1. *Cor.* IX. 27. Tales athletæ & pugnatores *legitimi* (νόμιμοι) dicebantur, qui leges, modo commemoratas, vel alias etiam, sancte obseruabant. Talibus etiam corona donabatur. Patet igitur exinde, quam amplissimi sit sensus phrasis Paullina, νομίμως ἀθλεῖν; præcipue ad militiam christianam adplicata.

§. XI.

Quarta virtus, quam primariam quoque adpello, est quod paraphrasta Syrus voces emphaticas interdum eiusmodi reddit loquendi formulis, quibus illarum sensus viuidis depingitur coloribus, eamque ob caussam legentium mentibus viuacius proponitur. Sic 1. *Jo.* II. 28. phrasin ἔχειν παῤῥησίαν elegantissime exprimit per *& sit nobis ghaljuth appeh reuelatio*

latio faciei. (*l*) Ex ordine enim iudiciorum, apud veteres olim vsitato, hanc phrasin desumsit. Solebant enim antiquis temporibus, qui criminis aut maleficii alicuius rei ad iudicia raptabantur, facie obuelari. Ritus ille apud romanos erat in vsu, dum rei sordidi, barba intonsa & promissa, capillisque in faciem demissis, adeoque facie obvelata, coram iudice, in publico iudicii loco comparebant: (*m*) Vetabat ritus ille iudicis adspectum, actoris, aliorumque circumstantium, symbolumque erat malæ conscientiæ, qua vexatus alterum, nedum iudicem suum,

C con-

(*l*) Interpretes παῤῥησίας vocem varie reddunt. VETVS interpres latinus & ERASMVS vertunt: *vt fiduciam habeamus*. LVTHERVS & PISCATOR per Freudigkeit explicant. BELGÆ rotundius & ad vocis illius sensum adcommodatius reddunt per *vrymœdigheit*; quos etiam REIZIVS sequitur. CASTELLIO per *confidentiam* interpretatur. Nulla tamen horum translatio interpretum, tam viuide παῤῥησίας vocem, quæ iudicalis est & forensis, proponit.

(*m*) Probari hoc potest vel ex ipsa historia sacra, quæ Christi vexationes in ædibus maximi pontificis subitas enarrat *Luc.* XXII. 64. *Marc.* XIV. 65. Hic enim diserte dicitur, illos milites, qui Christum comprehensum in Pontificis ædes deduxerint, procul dubio romanos, adeoque patriorum rituum in iudiciis obseruatorum tenacissimos, *faciem Christi obtexisse* seu *obuelasse*, obuelatamque *colaphis excepisse*, cet. cum forte Christum coram pontifice παῤῥησιαζόμενον conspicerent, quo sontis imaginem referret. Nec etiam quemadmodum romanorum imperium tunc temporis in orientem vsque extendebatur, negari posse videtur, ritnm illum, penes romanos receptum, ad populos simul extraneos, romanis parentes, delatum fuisse. Quid? quod apud Persas in oriente ritum illum, quo reorum facies obuelabantur, antiquitus obseruatum fuisse, clare doceat historia de Hamanis, Judæorum calumniatoris, supplicio, *Esther.* VIII. 8. descripto: imo in psalmis Dauidicis passim huc respicitur, e. gr. Ps. XXXV. 4. 26.

contueri libere non audet, ſed faciem cum rubore demittit, iudicisque intuitui ſubtrahere ſtudet. Contra vero, quando reus criminis purus erat, vel crimine abſoluebatur, illa faciei obuelatio ceſſabat, vel locum non habebat: reatuque exemtus libere iudicem ſine rubore ac pudore & cum bonæ cauſſæ fiducia intuebatur. Atque hunc ſtatum eius, qui a reatu immunis fuerat iudiciali formula declaratus, græci vno παῤῥησίας vocabulo adpellabant; quique eiusmodi edebat actus, vt ſine pudore & cum bonæ fiducia cauſſæ coram iudice loqueretur, eum arrecta fronte, bonæ cauſſæ indice, intueretur, παῤῥησιάζεσθαι dicebatur. Alluſum autem ad hunc eſſe ritum, hoc loco, oppoſitio clarum facit, qua παῤῥησία τῷ αἰσχύνεσθαι opponitur, eamque oppoſitionem interpres noſter, quam textus ſacer, clarius, traiectis licet vocibus quibusdam, indicat: *vt cum reuelatus fuerit, non* erubeſcamus *ab ipſo, ſed ſit nobis* reuelatio faciei *in aduentu eius.* Peccator ergo Deo nondum reconciliatus, eum experitur iudicem; cumque continuos ſentiat prauæ conſcientiæ ſtimulos, faciem demittit more illius *publicani Luc.* XIIX. 13. *Caini, Gen.* IV. 6. & bonæ cauſſæ aut recte factorum fiducia caſſus, Deum vt iudicem intueri, neque poteſt, neque audet. Imago miſerrimi illius ſtatus exhibetur *Exod.* XX. 19. Quando autem peccator a mala conſcientia per Chriſti ſanguinem purgatur, id eſt, quando ipſum de male a ſe factis pœnitet, delictorumque ſuorum veniam a Deo ex Chriſti lytro impetrat; facies eius ob pudorem & metum antea demiſſa & quaſi obuelata, erigitur & reuelatur, vt Deum non amplius tanquam ſeuerum iudicem, ſed velut benignum in Chriſto patrem, intueatur. Imaginem feliciſſimi illius ſtatus videre licet in Moſe, qui reliquo populo Iſraelitico maieſtaticam Dei vocem timente & in fugam effuſo, ſolus ad Deum acceſſit *Exod.* XX. 21. Hinc etiam, qui Chriſti ſunt, ingruente Dei iudicio iubentur *capita tollere* & *ſuſpicere Luc.* XXI. 28.

§. XII.

§. XII.

Eodem referimus in signem illum Paulli locum, qui *Rom.* IV, 12. exstat. Ibi apostolus loquitur de iis, qui *incedant in vestigiis* Abrahami. Syrus noster verbum στοιχέω, quo Paullus vtitur, ita reddit, vt nemo mihi interpretum notus sit, qui tam viuide rem, illo verbo significatam, proposuerit. Reddit enim *d'schol'min, qui complent* vestigia fidei in præputio patris nostri Abrahami. Verbum στοιχέω a nomine στοῖχος descendit quod *rectam* in acie *seriem*, quam latini *versum* adpellant, designat: vt adeo verbum στοιχέω significet *recto ordine* ac *versu incedo procedoque* ita, vt neque ad dextram neque ad sinistram deflectam. Significat etiam simpliciter *incedo, ambulo.* Cum autem id verbi cum nomine ἴχνεσι constructum sit: non simplicem notat ambulationem, sed adcuratum incessum, quo alterius præcessoris viam ita persequimur, vt vestigia eius legamus, iis insistamus, & hoc pacto neque dextrorsum neque sinistrorsum declinemus, donec ad eundem cum præcessore nostro viæ terminum perueniamus. Hanc adcuratam ambulationem Syrus quam elegantissime exprimit, cum metaphoram quidem a diuino vsurpatam scriptore retinet; sed loco tamen στοιχεῖν verbum alius prorsus significatus adhibet. Poterat Syrus vertere *d'othen bhothar ækbhotho, qui sequuntur vestigia* cet. Cum autem alicuius sequi vestigia is quoque dici possit, qui quocunque modo aliquem sibi præeuntem sequitur, siue vestigiis eius insistat, siue minus, dummodo ad eundem perueniat viæ terminum: ideo, loco illius, vel similis locutionis, Syrus verbo *sch'lam* vtitur, quod *perficere, complere* significat, germanice **in allen Theilen ausfüllen.** Et sic interpres ostendit, quousque perfectionis fidei Abrahamicæ imitatio procedere debeat, si & nos velimus ad eundem cum Abrahamo fidei terminum peruenire. Videlicet oportere nos omnia fidei Abrahamicæ vestigia non tantum quærere & legere, sed etiam

complere. Cumque ille masculam semper fidem ostenderit, (*n*) adeoque non puerilia aut iuuenilia, sed mascula fidei suæ vestigia nobis reliquerit; eo etiam singulis esse enitendum, vt mascula fide masculis fidei Abrahamicæ vestigiis respondeamus. Potest enim puer, potest etiam iuuenis, integri ac perfecti cuiusdam viri vestigia legere iisque insistere, sed *complere*, quia puer aut iuuenis est, nequit. Vt breuibus dicam: requiritur, secundum nostri ductum interpretis, ab apostolo non fidei semper debilis pueritia, sed integra & omnibus partibus absoluta virilitas, coll. *Eph*. IV. 13. 1. *Cor*. XVI. 13.

§. XIII.

Quinto loco ad primarias Syriacæ versionis virtutes refero, quod eius conditor voces ambiguæ vel dubiæ significationis explicare ac determinere consueuit. De singulis vnum placet exemplum producere. Paullus 1. *Tim*. III. 4. de episcopo dicit, eum debere esse τέκνα ἔχοντα ἐν ὑποταγῇ. Ibi verbum ἔχειν ambiguæ est significationis: potest enim verti per verbum *habendi*; potest, per *tenendi*. (*o*) Syrus *tenendi* notionem huic verbo hoc loco tribuit, quando transfert: *v'achidh bnau b'schu' bhodho & qui* teneat *liberos suos in obsequio*. Quæ etiam notio mihi, fateor, perplacet. Non est enim necessarium episcopi requisitum, vt vel liberos *habeat* simpliciter, vel liberos *habeat* etiam obsequiosos; quandoquidem vtrumque in eius potestate non semper est: sed id potius requiritur, vt, siue habeat

beat

(*n*) Abrahamus propterea debebat esse *pater omnium, qui credunt*, siue præputiati siue circumcisi essent, *Rom*. IV. 11. 12. Ideo perfectissimum firmæ & masculæ fidei exemplar, posteris suis reliquit *comm*. 19. Masculam illam fidem Paullus hoc capite maxime in Abrahamo collaudat

(*o*) *Habendi* notionem illi tribuit VETVS latinus, LVTHERVS, CASTELLIO. *Tenendi* notionem tribuunt PISCATOR, BELGÆ, REIZIVS: cum quibus facit Syrus.

beat iam liberos in subiectione, eos etiam in subiectione teneat; siue non habeat in subiectione, eos intra obsequii carceres coerceat. Idem patet ex sequenti commate, quod Syrus cum commate 4. ita connectit, vt causam esse commatis 4. constet eo clarius. Ita enim reddit: *si* ENIM *domui suæ bene præesse non nouit, quomodo poterit ecclesiam Dei gubernare.* Sensus ergo est: *episcopum oportet liberos suos in subiectione tenere; quoniam præsumtio est, si liberos suos non coërceat sub obsequium, eum multo minus posse ecclesiam legitime gubernare.*

§. XIV.

Dubiæ significationis vox est φελόνης, (*p*) semel 2. *Tim.* IV. 13. occurrens. Artis enim criticæ periti circa hanc vocem in diuersa quæque abeunt: nec tamen, licet multum inter se concertauerint, certi quid circa eius significatum definiuerunt. Interpretes vt plurimum hanc vocem per *penulam*, germanice **einen Mantel, Reise-Mantel**, transferunt. (*q*) Ratio, quare huic voci id notionis tribuerunt est eius cum latinorum *penula* conuenientia. Hinc etiam PASOR in *Lex. græco*, cum animaduerteret, syllabam φε in φελόνης ratione quantitatis non respondere latinorum *penulæ*, cum syllaba *pe* in *penula* producatur: maluit loco φελόνης scribere φηλόνης, eadem coniectura, non dicam præiudicio, ductus. At vero, si Syrum nostrum consulamus, longe aliam huic voci notionem indidisse eum obseruamus. Adpellat enim *bêth c'thobhe*, *receptaculum* seu *arcam scriptorum*. Et ego profecto magis interpreta-

 tioni

(*p*) Hæc plurimorum codicum lectio est, præter CVRCELLEJI HESYCHIIque lectionem, quæ φαιλώνης habet. Puto autem ex plurimorum auctoritate codicum, lectionem τȣ̃ φελόνης genuinam esse.

(*q*) Ita transferunt VETVS interpres, TERTVLLIANVS, ERASMVS, LVTHERVS, BELGÆ, PISCATOR, REIZIVS, itemque CASTELLIO.

tioni Syri, quam supra adductorum interpretum versioni, subscribendum esse decerno. Nam I. coniectura tantum est, vocem φελόνης esse latinorum *penulam*, solido satis fundamento non superstructa. Non enim dicitur latine *peluna*, nec græcæ dicitur φενόλης. Quod si quis dicat, τȣ̃ N & λ litterarum transpositionem minus impedire ex latinorum *penula* illius vocis deriuationem: ego respondeo, eiusmodi elementorum traiectionem in vocibus latinis, in nouo testamento vsurpatis, nisi me omnia fallunt, vsu non facile solere obuenire; contra vero, voces latinas, in græcum textum cooptatas, eodem scribi elementorum positu, quamlibet sub terminatione græca. Ideoque coniecturam coniecturæ oppono, nec vocem esse latinam, sed græcam adsirmo. Etenim II. melius videtur posse deriuari ex græcorum φέρω, *fero*, *porto*: vt φελόνης dici potuerit pro φερόνης, liquida littera in aliam liquidam mutata, secundum canonem a grammaticis receptum: *litteræ eiusdem classis inter se permutantur*. Imo atticos ρ ponere loco λ grammatici *in dialectis* obseruant ex voce κρίβανος loco κλίβανος. Quid autem impedit, quo minus dicamus loco ρ poni vicissim λ vt dicas φελόνης loco φερόνης. Imo, si ex græco verbo φέρω illius vocis petatur origo, sua etiam primæ Syllabæ constat quantitas, vt non opus tibi sit cum PASORE contra plurimorum codicum fidem, qui φελόνης non φηλόνης legunt, id audaciæ committere, vt syllabam φε in φη commutes. Præposita igitur hac deriuatione, φελόνης significabit instrumentum vel receptaculum aliquod, quo quid portatur; hoc autem loco designabit *arculam* seu *scriniolum* librarium, (*r*) cui scripta vel libri inclusi commode portantur, quia apostolus hoc commate de βιβλίοις & *membranis*, a Timotheo adferendis, loquitur. Imo III. Si omnes mecum περιςάσεις pensitem, haud difficulter Syro nostro adsti-

(*r*) HESYCHIVS celebris seculi VI. lexicographus, per *pallium* quidem *pelliceum* explicat; at dubitat tamen, anne *Scriniolum* sit φαιλόνης.

adstipulor, non intellexisse Paulum *penulam*, sed *arcam* librariam. Nam α) penulam quis longa emensurus itinera non facile relinquat in loco, vnde proficiscitur: est enim aptissimum vestimenti vel indumenti genus, ad aëris intemperiem eo commodius tolerandam. β) Paullo non videtur opus fuisse *penula*, vtpote carceri incluso, suique martyrii proxime subeundi, probe conscio, com. 6. Hæ περιςάσεις mihi mouent scrupulos, vt dubitem, vtrum penulam Paullus per φελόνην intellexerit? Sed, dixerit quis, si non fuit *penula*, quid tandem? num propterea certo constat, φελόνην fuisse librorum arculam, vt Syrus interpretatur? Verum Paullo magis opus erat librorum arca, quam penula, ob scripta, quæ vel in ea continebantur, vel in ea commodissime a Timotheo ad se perferri poterant, vt eorum lectione solitariam in carcere vitam transigeret. At vero scripta & membranæ separatim verbis proxime sequentibus recensentur, a Timotheo simul adferenda; (s) ad quid ergo ipsa librorum arcula? Respondeo: fuerunt plura scripta, plures membranæ, quas arculæ inclusas commodius, quam solutas, Timotheus secum adferre poterat. Sensus ergo Paulli huc redire videtur: *si veneris ad me libros tecum adfer, maxime membranas; & vt eas eo commodius, & sine detrimenti vel noxæ metu tecum adferre queas, adfer etiam arculam illam librariam, quam Troade apud Carpum reliqui, cui illas includas.*

§. XV.

Sexta virtus versionis Syriacæ est, quod sæpissime egregie interpungit eius conditor. Vnum exemplum breuitatis caussa adferam. *Luc.* XIIX.11. dicitur ὁ Φαρισαῖος ςαθεὶς πρὸς ἑαυτὸν ταῦτα προσηύχετο. LVTHERVS verba πρὸς ἑαυτὸν verbo προσηύχετο jungit: der Pharisäer stund, und betete bey sich also. Syrus autem verba πρὸς ἑαυτὸν cum verbo ςαθεὶς coniungit: *Pharisæus substitit apud se ipsum, & hæc precatus est.* Hæc autem coniungi debere, sequens videtur ratio suadere. Si enim πρὸς ἑαυτὸν ad verbum

(s) *Hoc* dubium mouet contra Syri paraphrasin B. CHRIST. CELLARIVS in differt. *de Paulli romana ciuitate*, in additam.

bum προσήυχετο referretur, se
tiarum actionem in mente t
præsente inprimis publicano
dinis non fuisse illius furfuris
discimus. (*t*) Inde non sine
quod Christus parabolice na
penes animum suum ita prec
primis publicano, quo sib
Hac igitur interpunctione p
subsistere apud se ipsum in Pha
sua merita penes animum su
sumsisse sibi blandiendi, alio
di, donec eam ore iactabun
inconsiderata linguæ intemp
sed ex præmeditato consilio
maioris vtilitatis spem facit,
sollicita collatio.

§.

Hæc primitiarum loco
ret, plura eiusmodi collatio
quidem vltra chiliadem ex
dicere, hermeneuticæ sacræ
pluribus adducendis supers
exemplorum schediasmatis
tum ne mihi aliis negotiis v
præripiam: plura forte cum
municaturus, si labores h
que iniucundos fuisse intell

(*t*) Ibi enim seruator noster
ἐξοχὴν Pharisæi erant
gogis & angulis platea
τοῖς ἀνθρώποις.

S.

rretur, sequeretur, vt Pharisæus illam gra-
 mente tantum sua conceperit, non vero;
ublicano, ore protulerit; quod consuetu-
 surfuris hominibus, ex *Matth.* VI. 5. con-
 non sine veri specie coniicimus, si quando,
olice narrat, reuera exstitit, Pharisæum non
 ita precatum esse, sed audientibus aliis, in
 quo sibi gloriolam & laudem conciliaret.
nctione posita, paraphrastes innuit, illud
sum in Pharisæo non fuisse otiosum, sed eum
nimum suum expendisse, indeque materiam
endi, alios vero alto supercilio contemnen-
iactabundo protulerit. Adeoque non ex
æ intemperie illa Pharisæi de se encomia,
 consilio, prouenerunt. Tantæ imo longe
em facit, Syriacæ versionis sedula lectio ac

§. XVI.

um loco sufficiant. Non difficile mihi fo-
 collationis exempla adducere; quando-
idem ex instructissimo isthoc, non vereor
cæ sacræ thesauro, collecta habeo. Sed
is supersedeo, tum ne plurium adductio
iasmatis mensuram modumque exsuperet,
negotiis vacanti, tempus iis impendendum,
orte cum BENEVOLO LECTORE com-
abores hosce meos ipsi non ingratos at-
sse intellexero.

tor noster diserte docet, ὑποκρίτας, quales κατ'
sæi erant *Matth.* XXIII. 13. seq. solere *in Syna-
ulis platearum stare & precari*, ὅπως ἂν φανῶσι
οις.

S. D. G.